



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Inconsulta credulitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

ut Libido emollit & emasculat corpora simul & animos; sic castimonia ac continentia corroborat, firmat, vegetat. Hujus rei memorabile exemplum refert Guilielmus Tyrius de bello sacro. Godefredus Bullionius, Dux Lotharingæ, & militarium copiarum in Palæstinam Ductor, anno Christi 1099. in obsidione Jerosolymitana horribili Saracenorum strage edita, primus in muros insiliit, regniq[ue] Solymæi coronâ donatus, barbaris sacrosanctum JESU mausolæum eripuit. Is tanto erat robore præditus, ut virum cum equo medium divideret acinace; mirantibus & aciem ferri explorantibus, respondit: vim inesse dextræ, non gladio, quippe *quæ nunquam molli, vel turpi aliquo contactu elanguerit, aut effeminata sit.* Hos Virbios efficit Castitas. Ad rem Seneca lib. 3. Natural. quæst. *Quid est præcipuum in rebus humanis? animus luxurie non adversus tantum, sed infestus.*

VI. (f) Inconsulta Thesei credulitas meritò terreat Principes, quorum aures circumsonant assentatores, obtrectatores, delatores, calumniatores. Præter Theseum exempla habemus in Putiphare, Pharaonis regis Ægyptii, militari Duce. In Constantino M. In Othone Cæsare, aliisque viris summis, quos circumvenit lingua calumniatrix, & in feram pœnitudinem conjecit. De mala parentum *imprecatione*, quâ Theseus devovit filium alibi dicimus. *Neptunus* quoque, quamquam DEUS, vitio non caruit, fidem in re mala servavit. Meminit ejus Cicero 1. Offic. his verbis: Potest etiam accidere promissum aliquod, & conventum, ut id effici, sit inutile vel ei, cui promissum sit, vel ei, qui promiserit. Nam si, ut in fabulis est, Neptunus quod Theseo promiserat, non fecisset, Theseus filio Hippolyto non esset orbatus. Ex tribus enim optatis, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit: quò impetratò, in maximos luctus incidit. Hæc ille. Et Isidorus: In turpi voto rescinde fidem, muta decretum: impia est promissio, quæ scelere adimpletur.

VII. (g) Ex *Æsculapio* quoque doctrinam pro Medicis hauriamus. Traditur is *Apollinis Coronidisque* Nymphæ filius fuisse. Quia naturâ, ingenioque præclarus, medicinæ operâ plurima valetudini hominum utilia invenit. Adeò verò peritiâ artis excelluit, ut quam plurimos desperatis morbis liberârit, indèque fama vulgârit, eum mortuos ad vitam reduxisse. Ob eam rem ferunt, ipsum apud Jovem à *Dite* accusatum, tanquam ipsius imperium diminuentem, quòd in dies pauciores interirent curante *Æsculapio*. Eâque causâ exacerbatum Jovem, fulmine

(f) *Inconsulta credulitas.* (g) *Medicorum laus.*